



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

19 De æternitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

pras perit, poena manet. O miserum te, qui,  
 cum posses, ista non praecogitasti; qui pias ad-  
 monitiones maiorum spreuisti, internasque Spi-  
 ritus sancti suggestiones oppressisti; vae tibi, &  
 vae aeternum. His ratiocinationibus intellectis,  
 voluntas in rabiem & furorem versa, maledicet  
 diei, in quo natus est homo, & nocti, in qua  
 conceptus est in utero matris. Cumque aeternas,  
 inuitabilesque poenas considerabit, quas ipse  
 sibi solus creauit; in se ipse fremet, frendetque.  
 miser homo, & in Deum auctorem, qui se finxit,  
 blasphemias euomet. Videbit enim peccator,  
 & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet.  
 O miserum me, inquiet. ideone natus sum? qua-  
 to satius fuisset nunquam vidisse hanc lucem?  
 Utinam vel modum mihi detur in nihilum re-  
 digi; quanto feliciores me sunt iumenta & be-  
 stiae, quorum anima vna cum corpore extin-  
 guitur: iam enim perire cupio, & non conce-  
 ditur: mors a me fugit, & tamen sine morte,  
 mortem morior sempiternam.

## CAPVT XIX.

## DE AETERNITATE.

**I**N hac mortali vita, quicquid diuturnum  
 est, molestum est, & graue. Etsi grata est  
 quies, tamen si sano duos annos in molli le-  
 cto continenter cubandum esset, non ferres tam  
 diuturnae quietis laborem. Quid si verò sub-  
 eundae essent vnius anni graues & continuae  
 poenae calculi, contractionis ossium, aut adu-  
 rsionis, nonne quiduis pro dolorum illorum de-  
 pulsio-



pulsione offerres? At nūc considera gehennæ  
 pœnas grauissimas, cum quibus comparatum  
 nihil graue est, aut durum, quicquid hic mun-  
 dus in durissimis ponit: ignis, membrorum  
 contusio, feruens oleum, cruces, scorpiones,  
 equulei, & quicquid acerbissimum dici cogi-  
 tariq. potest, etiamsi centum annis omnia si-  
 mul toleranda forent, vnus diei gehennâ non  
 adæquarent. Proinde sicut prudenter is sibi  
 consulit, qui istius mundi pœnitentia, inferni  
 pœnas redimit: ita imprudentissimus videtur,  
 qui impura leuiq. voluptate captus, his crucia-  
 tibus se, tametsi breues futuri essent, addicit.  
 Quis enim adeo demens est, vt trium dierum  
 equuleum, vnus horæ libidine emat? Crucia-  
 tus inferni nō tēpore, sed æternitate, non an-  
 no, sed æuo mēsurantur. Heu æternitas, æter-  
 nitas, quàm diuturna es, quàm grauis, quàm  
 vicina; quàm parum tamen à plærifq. curaris?  
 omne momentum in pœnis est annus: quid  
 erit æternitas in tormentis inferni? Heu quā-  
 ta Dei iustitia, quanta in peccatores seueritas?  
 Quis vnquam vel grauissimum flagitiū bien-  
 nij supplicio puniuit? Plurimum triduò aut  
 quatriduò pœnæ huius vitæ terminantur: sed  
 Deus qui solus magnitudinem peccati suo  
 momento æstimat & ponderat, tota æternita-  
 te pœnas exigit à peccatoribus. Heu miser,  
 quomodo in hac calamitosa æternitate perdu-  
 rabis? si tot anni in cruciatibus ponerentur,  
 quot peccata admisisi, aut si hoc parum quot  
 saltem horis aut quadrātibus vixisti; vel si nec

Q s hoc



hoc satis est, quot sunt stellæ cæli, & maris arenæ, tolerabile videretur iudicium: At verò hoc numero annorū nō contēta iustitia Dei, æternitatem pœnarum exigit, quæ æternitas quantumcumque temporis demas, nihil minuitur. Si auferas tot millia annorū, quot sunt in vniuersa terra minutissimæ arenæ; si tot myriades annorū, quot guttæ numerātur in Oceano, quot folia arborum omnium atque herbarum, quot gramina camporum, adhuc sibi constabit æternitas; adhuc nihil de duratione suppliciorum detractum erit: peccatum mortale inferni ignibus ardet quidem semper, sed nunquam excoquitur; punitur, sed non expiatur: Deus ipse quamdiu Deus erit, peccatorē torquebit, neque prius liberabitur peccator a pœnis, quàm Deus omnipotens & sempiternus desinat esse Deus. Neque putes diurnitate sensum doloris minui: corpus peccatoris damnati non indurescit, neque callo obducitur, proinde neque pœnæ ipsæ mollescent, sed quàm graues tibi, ipso in Gehennam ingressu, fuerint visæ, tales tibi per omnem æternitatem videbuntur; æquæ molestæ & intolerabiles, nisi fortè culpa tua augeantur.

Hanc durissimā æternitatem cur non expedis? eiusq̄ metu vitam tuam melius instituis? An fortè quia solum præsens tempus estimas, futura tanquam absentia, & longè posita nūquam aduentura putas? futura certè aliquando præsentia sunt, & nisi quandoq̄. adessent, futura non dicerētur. Qui ante annos centū tua

atque



ætate & conditione vixerunt, illis non aliter æternitas fututa fuit, atq. tibi futura prædicatur: præterierunt illi, migrarunt ex hoc sæculo, & nunc præsentem habent æternitatē, quam expectabant. Sicut igitur hodiernus dies superiori anno futurus erat, & nunc non futurus est, sed præsens: ita æternitas illa gehennę quã procul abesse existimas, aliquando te assequetur, præsensq. aderit, & non sicut tempus omne quantumuis longissimum, aliquando præteribit, sed semel præsens factum, in æternum præsens manebit. Hæc, tu charissime, obsecro etiam atq. etiam cum animo tuo considera, & illam longè terribilissimam suppliciorū æternitatem, quam nulla oratio satis potest enarrare, exigno labore & pœnitentia deuita.

## CAPVT XX.

## DE REGNO CAELORVM.

**O**PTIMVS ille sapientissimusq. mūdi opifex, & ædificator Deus, cū res omnes è nihilo creauit, in finem eas aliquem retulit, non secus atque figulus quispiam, qui ad diuersos vitæ humanæ vsus, diuersa è luto fingit & accommodat vasa. Et cæteras quidem creaturas corporeas hominis vsui & utilitati consecrauit. Hominem verò ipsum in hunc finē produxit, vt post hoc exiguum breueq. vitæ curriculum rectè & honestè confectum, in domū illam æternam migraret, vbi diuino conspectu fruens, vitam longè iucundissimam beatissimamq. in  
omnere